

De transversa patellae fractura : theses anatomico-chirurgicae.

Contributors

Marchais, Pierre.
Devilliers, Charles.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Parisiis : Typis Michaelis Lambert, 1782.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/h7xkwfcs>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**


Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



DE TRANSVERSA
 PATELLÆ FRACTURA.



T H E S I S
 ANATOMICO-CHIRURGICÆ.



EX ossium mirandâ conformatione exteriori, variæ prodeunt articulationes, quibus homo valet diversos edere motus, quorum defectu, miserrimè jaceret immobilis, impotens sibi necessarium suppeditare, necnon ex aliis auxilium de re quâpiam invocare coactus. Hos inter motus quantâ sit utilitate progressio

nemini latet. Id præsertim noscunt illi quibus luxatum, fractum, debilitatum, conferruminatumve fuerit genu. Viget quidem corpus eundo, nec ipsius fanitati parùm conferunt cursus, ascensio, descensio aliique tot actus, quos exerceri tantò minùs valet, quantò magis à naturali statu & congruâ dispositione recedit alterutriusve genuum junctura. Verùm si speciales hujus articuli partes attendamus, non minori certitudine patebit, inter eas multùm opitulari Patellam, de cujus fracturâ per transversum, satis nobis erit differuisse, si quædam, ut mos est, de eâdem præposuerimus anatomica.

Os spongiosum, quod in adultis nummi ferè magnitudinem adæquat, castaneæ, aut hippocastani vulgaris figuram amans, femoris infimam & tibiæ superiorem inter extremitates, in anticâ parte situm, genu propriè dictum efformans, *Patella*, *Rotula*, *Scutum*, *os Scutiforme*, tot synonymis vocabulis nuncupatur.

Merè est os sesamoideum in quod distinguntur basis, apex, duæ facies, duoque limbi.

Basis quæ superior cæteris partibus insidet, quatuor musculorum extensorum cruris, utriusque vasti, scilicet, cruralis & recto-gracilis præbet insertionem.

Apex, inferior, brevi sed validissimo ligamento tibiæ tuberositati ita nectitur, ut os ipsum potiùs frangeretur quàm ab istâ divelli posset.

Facieum una simplex, convexa, anterior vel externa est. Nullo periosteo tegitur. Multis lineis aut rimulis insculpta videtur, ad insertionem fibrarum expansionis aponevroticæ, à tendine communi musculorum cruris extensorum procedentis.

Alia, interna sive posterior, lineâ quâdam obtusâ, à basi ad apicem prominente bipartitur in foveas, cartilagine obductas, quarum externa latior, interna verò longior, utriusque condili

femoris ita correspondent, ut ascendat descendatve Rotula; semper illius trochæ adæquatè coaptatur. In articulatione genu rotam reperies hanc faciem. Ab externâ separatur mediante circumductâ limbos capsulâ articulari. Sibi proprios habet fontes humoris sinovialis, quò linita faciliùs in trochæam moveatur.

Limbi prædictas partes circumvallant, nihilque manifesti præbent præter rimulas quasdam quibus inferitur capsula articularis.

Quatuor sunt Patellæ ligamenta: duo, nempe, lateralia, capsulæ exteriora, ab infimâ limborum parte ad superiorem & lateralem capitis tibiæ partem laxè protensa; unum internum vel posticum, ejusdem capsulæ articularis progenies, quòd ex inferiori parte faciei internæ, intûs articulationem retrò vadit, & anteriori lunulæ inter conditos femoris excavatæ inhærescit; aliud tandem crassum & breve, ab apice Rotulæ ad tibiæ tuberositatem extensum.

Sic suis adhæssionibus articulationi genu Patella tenet, ut à tibiæ tuberositate nullo modo removenda, faciliùs supra femoris trochæam eat & redeat, dùm extenditur vel flectitur sura. Nec alios motus exerceri valeat rotula necessum est, quæ tamen inflexo genu & validè contractis musculis extensoribus cruris, fortiter deprimitur in excavatione anteriori condilorum femoris, quoquò versùs immobilis, dùm è contrà in eadem excavatione undequaquè moveri potest, si extenso crure iidem muscoli relaxantur.

Patellæ præter varias utilitates, præcipuum id officium est, ut nempe, linea directionis motûs muscutorum extensorum cruris à centro motûs articulationis removeatur, ac proindè facilior evadat illorum actio. Non aliud quidem est quàm hypomochlium in hac articulatione, cui cum aliis ossibus non con-

venit, nisi more sesamoideorum, nec secus ac olecranium mobile.

Artericæ & venæ popliteæ, cæteris omnibus articulationis genu partibus sanguinem deferentes, Patellæ etiam ramulos suppeditant. A crurali & ischiatico procedunt ejus nervi.

Transversa dicitur omnis fractura quæ fit secundum ossis minimum diametrum. Si verò diametri sunt æquales, tunc transversa audit ea quæ minimo corporis axi parallela est.

A solâ percussione rariùs vel quàm difficilè per transversum frangi Rotulam autumamus. Talis effectûs frequentior & præcipua causa, violenta est musculorum cruris extensorum contractio. Nec mirum igitur, si sæpè sæpiùs eveniat dum delabimur in genua. Ubi enim instat lapsus, ut vitetur aut minimè sit velox, subitò corpus retrorsum dejicitur, fortiter ac repentè contrahuntur prædicti muscoli, vividius etiam ab iis extenditur Rotula, quæ flecti nescia, tantoque oneri si fuerit impar, frangitur in duas partes quarum superior ab inferiore plùs minùsve recedit.

Non arduo negotio dignoscitur an Patella transversè rumpatur. A læsâ progressionè, difficili vel impossibili cruris extensione, partium fractarum crepitatione, aut intervallo quo à se invicem distant eam suspicies. Si tamen ægrotante obeso, vel valdè tumefactâ parte minimum sit fragmentum superius, tunc temporis non ita in promptu futuram esse diagnosim fatemur.

Ab instantibus & futuris accidentibus, ab ætate, sexu & individui temperamento, à multis etiam aliis circumstantiis deducere est prognosim ejusdem fracturæ. Sit tamen in genere mala, vel saltem dubia; sæpè sæpiùs enim evenit ut admisâ etiam curatione, in posterum remaneat progrediendi difficultas, ex imperfectâ partium ossæarum adunatione, vel aliarum debilitate aut ingurgitatione.

Demptis, si quæ sint, accidentibus primitivis, ad curationem tria præcipuè requiruntur. 1°. Fragmenta ad se invicem accedant & coadunentur. 2°. Usque ad perfectam coalitionis soliditatem contineantur. 3°. Tandem avertantur accidentia subsequitiva.

Quò ut partes ad invicem accedant, necessum est priùs evinciatur musculorum contractio quâ recesserunt. Ad hoc ut plurimum sufficit methodica Chirurgi manuum applicatio, cum eâ totius extremitatis positione, quâ, scilicet, extenso crure, femur ad inguen inflectitur. Hisce mediis cedere solet illa contractio, si sit simplex; dùm verò vehemens habetur, ferè convulsiva, dolore vel inflammatione stipata, tunc in statu rerum craftinanda reductio, usque dùm obstacula remittantur.

Relaxatis musculis, facilè redit fragmentum superius, nec magni operis est ejus cum inferiore coadunatio; at eadem in mutuo contactu retinere, hoc opus, hic labor est.

Ad hunc scopum simul conferunt situs & fasciatio. Situs vel generalis, vel particularis est. Quoad priorem nulla datur controversia, idem ferè est ac in fractura femoris aut tibiæ. De particulari verò non eadem est Chirurgorum sententia, alii enim membrum ita reponi volunt, ut, extenso crure & altiori pede, femur cum corpore effingat angulum apertum, quem alii minus apertum, & alii rectum commendant.

Quisquis autem futurus sit iste situs ne ipsi solo confidas & vincturam semper adhibeas. Quoniam verò tam difficulter demò coalescit Patella transversè rupta, quot illam celebrandi modos excogitavère practici vix diceretur. De cæteris ideò nihil dicturi, unam tantùm quatenùs à nobis, haud minori cum successu, pluries expertam proponere fert animus.

Sex partibus constat, duabus, scilicet, fasciis, & quatuor spleniis quorum duo circularia & alia duo longitudinalia dis-

tinguntur. At ex eo quod variari debeant horum omnium dimensiones, in eâ ratione quâ pars ægrotans majori vel minori volumine donatur, illum præ cæteris casum eligemus in quo mediocri staturâ & obesitate valeret æger.

Hoc in supposito casu, fasciarum una sex aut circiter ulnas longa, tres digitos lata sit, & alia paulò minor eâdem latitudine polleat. Splenia circularia semi ulnam longa, quatuor ferè digitos lata & triplici vel quadruplici linteo spissa sint. È longitudinalibus, quæ duplicia sufficiunt, unum sex digitos & aliud duo tantùm latefant. Ex his insuper latius unâ suarum extremitatum & ad mediam usque sui partem, in modum ferri equini recindatur ita ut ejus incisura non ampliùs pateat, quàm ut possit alteriùs longitudinalis latitudinem admittere. Quæ omnia sic ritè disposita in ordine sequenti applicari debent.

1°. Suprà femoris infimam & anteriorem partem, imponatur splenium longitudinale latius, adeò ut suæ incisuræ pars lunata basim rotulæ suscipiat, dùm ejus capita juxta laterales partes ejusdem ossis & tibiæ versentur. 2°. Propè rotulam & circà femoris partem inferiorem adjiciatur unum è spleniis circularibus & super illud reflectatur jamjam impositæ longitudinalis pars superior. 3°. Contineantur hæc omnia ope majoris fasciæ, quæ à medio femoris ad Rotulam propè circumduci debet ita ut ex ejus applicatione faveatur musculorum elongationi & appropinquationi Rotulæ fragmentorum. 4°. Reducantur tunc temporis suprâ femur mox demissæ longitudinalis capita, statim atque super tibiæ partem anteriorem & superiorem extendatur aliud longitudinale, quod directè ineat incisuram prioris, nec plusquàm tertiâ suâ parte femur obtegat. 5°. Admittatur dein infrâ Patellam & circà partem tibiæ superiorem aliud splenium circulare, super quod etiam subindè reflecti debet posterioris longitudinalis extremitas inferior. 6°. Hæc etiam contineantur

ope fasciæ minoris, à medio cruris ad Rotulam devolvendæ. 7°. Tandem iterùm appropinquantur & adæquatiùs quàm erit possibile coadunata retineantur patellæ fragmenta, utriusque, scilicet, longitudinalis capita decussatim attrahendo, eo pacto quo ea quæ sunt superioris juxtà Rotulæ latera transeant, & suprâ tibiã aciculis insistant, dùm illud quod inferioris est alterius per incisuram ductum ad femur protendatur, inibique fixum aliis aciculis remaneat.

Simplicissima est illa fasciatio & admodùm facilè celebranda. Cæteris etiam præstantior nobis videtur quòd detractis tantùm aciculis, quibus ad femur affigitur inferiùs longitudinale, & eodem suprâ tibiã reverso, tactu vel oculis apprimè dignosci possit an rotula ritè coadunetur & satis coalescerit. Quò tamen membrum tutiùs contineatur, illud, non secùs ac in aliis evinciendi modis, inter cylindros alliges & ad angulum nec magis nec minùs apertum, v. g. 40. graduum suprâ culcitram idoneam reponas.

Quantùm autem temporis sic revincta relinqui debeat Patella, ab ægrotantis ætate, corporis ejus habitu, & partium coalitionis intensitate deduces. Nusquàm tamen de illâ vincturâ quidpiam auferas, nisi sexagesima dies ab accidente fugerit. Immò nec membrum post hoc temporis lapsu prorsùs liberare prudens esset. Os enim scutiforme transversè ruptum perfectò callo non confervet, nec nisi tardè nimis ita coalescunt ejus fragmenta ut ab actione muscutorum non ampliùs divelli possint. Cautus ergò præcavéas ne citiùs quàm par est denu-datâ parte illa de novo separentur; quod discriminis obsis-tendum usu perdiù protracto nôstræ, vel alterius æquiparan-tis vincturæ.

*Has Theses, DEO DUCE, & Praside D. CAROLO
DEVILLIERS, Artium liberalium & Chirurgiæ
Magistro, Scholarum Moderatore, tueri conabitur PETRUS
MARCHAIS, Engolismas, primogeniti Fratris Regis Chi-
rurgus trimestris, in Universitate Remensi Artium liberalium
Magister.*

*Die Sabbati, 13 Martii, anno Salutis 1782, à sesqui-secundâ
post meridiem ad septimam.*

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,
PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREA.



PARISIIS,

Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ
Collegii necnon Academiæ Typographi, viâ Cithareâ.

M. DCC. LXXXII.